



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1657**

§. 203. Iesum autem tradidit voluntati eorum. v. 25.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

filio Virginis Mariæ & Ioseph tam sancte educato, amatur, praefertur, & adoptatur,

**A.** A. A. Domine nescio loqui. O qualia, sunt iudicia mundi! Consolare, ô Christiane, cum talia iudicia de te quoque sentis? Cum vides Turcas, Iudæos, Athæos, omnes impios & Hæreticos tolerari à Reformatis, solum te non tolerari, extirpari, memor esto tunc iudicij de Domino IESU facti.

§. 203. *Iesum autem tradidit voluntati eorum. v. 25.*

Non dicit voluntatibus; quia omnium adstantium Iudæorum & vociferantium erat vna eademque voluntas, vt ipsis traderetur innocens IESVS: vt in eo facerent voluntatem suam. At, qualem? diabolicam, discerpendo, vulnerando, cedendo: virgis, flagris, scorpionibus, tundendo pugnis, pedibus, fustibus, armis, illudendo verbis, cachinis, petitionibus falsis, hortamentis, mortificando in anima & corpore, execrationibus, adiurationibus, maledictis, blasphemijs, sputis fœdis & excrementis varijs, coronatione, & tandem, fame, siti, nuditate, baiulatione propriæ crucis, terebratione manuum & pedum: dira eleuatione, & dimissione crucis, donec mors sequeretur nigredine, & horrore infami eum inuoluens, si fieri posset æternum eradendo memoriam eius de terra. Hæc erat voluntas illa, cui Iesum tradidit Pilatus. opera, quæ consecuta sunt, talem illam fuisse voluntatem demonstrant.

**S.** Alue hora, salue dies, in qua tali sententia lata cœpit mundus redimi! Hætenus prælusum fuit redemptioni isti, nunc incipit salus ipsa prodire, cum pro nocentibus, innocens datur, non solum à Deo, sed & à magistratibus, Dei occultam voluntatem sua malitia implentibus. Interea ego tuam patientiam, tuam charitatem adoro, ô Iesu.

§. 204. *Et cum ducerent eum. v. 26.*

Vt præda facta fuit Christus canibus famelicis: quid putas fecerunt? **S.** Lucas commotis quasi visceribus transiit acerbissimum modum flagellationum & coronationis & statim properat ad montem Caluarie, quasi præ condolentia non sustineat illa probrosa enarrare.

**B.** Ene facis, ô sancte Dei amice, scriptor pie, quod silentio tuo ostendis affectum compassionis: impetra mihi & omnibus fidelibus, etiam à B. V. M. cui tu singulariter fuisti familiaris, compassionis affectum quem illa habuit acutissimum,